

mus, Deum nobis esse propitium, & nobis fauere,  
& omnia peccata remisisse, ac Christum pro om-  
nibus nostris peccatis satisfacisse, & nos filios Dei,  
& heredes esse. Ad eos, qui talem fidem habent,  
sic inquit Christus, Ioan. 6.

Qui venit ad me, non esuriet, & qui  
credit in me, non sitiet unquam.

Qui sic venit ad Christum, id est, vere credit  
in eum, victor est mortis, peccati, diaboli, infer-  
ni, non potest damnari, sed per fidem in verbum  
Dei, & immensam gratiam, bonitatem & miseri-  
cordiam, in æternum saluatur. Sic enim Christus  
ipse inquit, Ioan. 5.

Amen, amen dico vobis, qui sermo-  
nem meum audit, & credit ei, qui misit me,  
habet vitam æternam, & non venit in iudi-  
cium, sed transiit à morte in vitam.

Quàm hoc consolationis plenum est, quod ho-  
mo Christianus per mortem corporalem in vitam  
æternam transit.

Ioan. 5.

Amen, amen dico vobis, si quis sermo-  
nem meum seruauerit (id est, in eo permanserit,  
de eo non dubitauerit, sed firmiter crediderit, se  
per me & propter me, habere propitium, bonum  
& misericordem Patrem in cælis) mortem non  
videbit in æternum.

I 2

Hæc